

00
A
341



P. e. 99



EXPLICATIO

ἑλεγκτικῆ

Evangelii Domin. XXIV.

post Trinit.

P R E S I D E

Dn.

JOHANNE GERHARDO

DOCTORE ET PROFESSORE

THEOLOGO

Suo

*Patrono, Praeceptore & Fatore
honorando*

ad disputandum proposita

à

M. JOHANNE OLTHOFF ROSTOCH.

Philos. Senatus Adjuncto in Salana.

Ad diem IX. Novemb.

ANNO M. DC. XVI.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

VIRIS
ADMODUM REVE-
RENDIS, CLARISSIMIS ET EXCEL-
LENTISSIMIS Dn. DECANIS, SENIORIBUS
ceterisq; in ROSTOCHIENSI ET JENENSI Academiis Il-
lustribus sacrosanctæ Theologiæ Professoribus dignissimis, Do-
minis, Patronis, Fautoribus & Promotoribus
meis ut optimis, ita æternum vene-
randis, honorandis.


Cogitanti mihi, Viri admodum Reverendi & Excellentissimi, Mæcenates
summi, cui præ reliquis ob insignia in me merita, gratitudinis & observantia
argumentum redderem, in memoriam venit Gracchus ille, de quo Historici,
quod nutrici gemmam valde magnificam, matri verò longe vitæorem dederit, memo-
rant, quo factò mater attonita facti rationem postulat, cui filius: tu quidem ma-
ter novem me mensibus in utero gestasti, hæc vero tribus me annis in ulnis & amplexi-
bus fidelissimè enutrivit. Vos, ò fida Christi Ecclesia columina, Vos estis, qui me à
primo lacte materno, non tribus tantum annis sinu vestro accepistis, sed per totam vi-
tam salubribus pietatis & doctrinarum monitis enutrivistis, & adhuc cura plusquam
paterna, favore & benevolentia fovetis alitisq;. Vos primùm, ò patria mea dulcissi-
ma lumina, tenerum meum ingenium, cum instar mollissima cera omnium impressio-
num capax esset, is excoluistis artibus, quibus ad virtutis arcem contendentibus opus
est; Vestra mihi documenta instar manus fuerunt, quæ me apprehensum per arduum
virtutis iter duxit: Vestra benevolentia ad primum honoris gradum iter mihi præ-
paravit. Quicquid sum, omne vestrum esse agnosco. Nec minori me curâ JENÆ
incluta excepit, quæ incertum mihi reliquit amore an meritis mihi propensior fue-
rit.

Dii, si quid pia vota valent, pro talibus ausis
Immensum vobis faveant, longeq; reservent.
Vos mihi Fautores magnos studiisq; benignos.

Hæc mecum quando cogito, cogito autem quotidie, plura me vobis, ac cuiquam aliis
mortalium debere confiteor; quibus cum solvendo non sim, accipite illud, quod viris
magnis hæc in re satis esse solet, ipsam nempe debiti confessionem, & hæc quam
conscripsi disputationem, grati animi mea erga vos observantia & studiorum meorum
testimonium. Hanc si placere vobis intellexero, calcar mihi addetis aliquid majus
cum tempore audendi, nec vestram erga me benevolentiam exiguo cumulo cumulabi-
tis. Valet, datum Jenæ ex ætunngio nostro 9. Novemb. Anno 1616.

Vestrarum Rever. & Excellent.
observantissimus

Author & Respondens.



בגבורת השם:

THESIS I.



Historias binas, quas Evangelium Dominicæ XXIV. continet, sub disputationis incudem revocare cum sit animus, te omnipotens Deus toto pectore rogamus, ut hic noster labor, in tui nominis gloriam & omnium nostrum salutem sempiternam cedat, Amen.

2. Cum Historiæ hæc binæ ex se ipsis quasi duas gignant partes, non opus est, ut in distribuendo hoc Evangelio multum laboremus, quin potius de prima parte dicamus, Quomodo Jairus ad Christum venerit, & quid ipso cum Christo revertente in via acciderit hæmorrhousæ videlicet sanatio. Secunda autem quomodo ejusdem filia a mortuis resuscitata. Singulis partibus subjungemus quæstiones controversas, ortas ex hoc ipso textu, earundemq; decisiones paucis exponemus.

3. Præmittimus autem Historiam de Hæmorrhousa alteri miraculo, cum & ipsi Evangelistæ, antequam ad miraculum in resurrectione editum describendum sese conferant, eam interserant, itidemq; absolvant, priusquam redeant ad narrationem de filia Jairi.

4. Notandum itaque principio S. S. non tantum usum fuisse in describendis hisce miraculis Matthæo nono sc. capite, verum etiam voluisse ut in hisce exprimendis laborarent, & Marcus quinto & Lucas octavo capite, qui etiam latius eadem prosecuti sunt. Jansenius & Salmeron ad hunc locum annotant Matthæum ferè brevitati in recensendis miraculis Christi studere, Christi verò verba & sermones accuratius describere, paucis itaq; hanc ob rationem complexum esse duo hæc miracula: quæ sententia tamen parum convenire videtur, cum Hieronymo, qui Marcum Epitomato-rem Matthæi esse scribit, præterea multæ Historiæ hoc ipsum falsitatis arguunt. In hoc autem explicando miraculo res ipsa restatur: Mar-

tur, Marcum & Lucam prolixiores & diligentiores esse. Quæ itaq; à Matthæo brevitatis causa omiffa sunt, ab his ea diligenti studio explicata adduntur.

5. Incipit itaq; Historiam hanc Matthæus his verbis : *Hæc cum illis loqueretur*, puta, cū Christus Pharifæis & discipulis Johannis responderet arguentibus discipulos, quòd non jejunarent, ideoq; etiam ab his habitus fuit pro homine impio, impiorum & publicanorum socio, vorace, & qui suos ad nullam pietatem institueret, quemadmodum Johannes & Pharifæi suos; dum hoc ita accidit, *Ecce*, qua particula omnes tres Evangelistæ hanc historiam ordiuntur, quæ hoc loco non tantum est demonstrantium, sed potius admirantium, & singularem Dei providentiam ac bonitatem considerantium, quasi dicerent; conspirantibus ita Pharifæis cum discipulis Johannis contra Christum, mox affertur occasio, quajam non verbis tantum, sed ipsa Dei virtute declararetur utri sanctiores essent, Pharifæi cum discipulis Johannis, an Christus cum suis, quod præstanda esset non jejuniorum hypocrisis, sed divina virtus & beneficentia. Hæc sc. Evangelista voluisse videtur, cum dicit: *Hæc cum illis loqueretur*.

6. Marcus autem & Lucas licet hunc ordinem non adeò accurate sequi, sed alio loco hanc historiam quasi collocare videantur, non tamen à Matthæo discordant. Matthæus enim exquisita notatione ordinis subjungere suo convivio voluit, quomodo ad Dominum discumbentem adhuc in convivio aut certè ad minimum versantem circa ædes Matthæi, & disputantem cum discipulis Johannis Primas iste venerit, cui reliqui nihil contrarium, nec ab eo diversum dicunt. Marci enim verba sunt: *Cum Iesus rediret &c. congregata est ad eum multa turba, & erat ad mare*. Matthæus autem istud explicat ubi congregata sit & quomodo fuerit ad mare; congregata sc. ad domum Matthæi, sive prope ejus teloneum, quod ad mare situm erat, ut Marci 2. v. 13. & 14. manifestè indicatur. Lucas verò etiam manifestius: : *turba excepit eum, expectabat enim ipsum*, qui item Matthæus explicat, turbam Publicanorum ipsum expectasse, & excepisse cum gaudio domi sc. Matthæi; Postea sensim reliqua turba est aggregata, ut annotat Polycarpus in Harm. Evang. Chemnitiana.

7. Sed si singula consideremus ordine, primo occurrit, quis ille

ille fuerit, qui pro filia rogaturus venerat. Fuit is vir primæ authoritatis apud Judæos, quiq; Synagogæ Judaicæ Princeps, cujus nomen apud Marcum & Lucam exprimitur, quod dictus fuerit Jairus.

8. Erant enim multæ in populo Judaico Synagogæ, quæ singulæ suos habebant Præfectos, ex quibus Archisynagogis unus fuit Jairus ut Marci 5. v. 22. Lucæ 9. v. 41. dicitur. Apparet autem ex hoc loco in populosis atq; celebrioribus civitatibus plures uno fuisse Archisynagogos. Nam & Lucæ 14. v. 1. dicitur, Christum venisse in domum τῶν ἀρχόντων, Actor. quoq; 18. legimus de duobus Archisynagogis apud Corinthios, qui per Paulum sunt conversi, v. 8. nominatur Crispus, quem Paulus cum tota sua domo baptizavit. vers. 17. nominatur Sosthenes, qui postea unâ cum Paulo priorem Epistolam misit ad Corinthios 1. Cor. 1. v. 1.

9. Nec tamen discrepantiâ quædam est inter Matthæum & reliquos duos, quod Matthæus Personam hanc vocet Primatem ἀρχιερα, quem Marcus & Lucas vocant Archisynagogum, quasi ille esset Magistratus gerendæ Reip. Præfectus: Hic vero Magister Ceremoniarum, Licet enim vox ἀρχων aliquando sit appellatio Magistratus Politici. ut Gen. 12. v. 15. cap. 34. v. 2. 2. Reg. 10. v. 3. tamen etiam inter Levitas ac Sacerdotes fuerunt ἀρχοντες, ut patet ex 1. Paral. 15. v. 5. & aliis versibus. Quin & Nicodemus, qui certe non fuit Princeps Politicus, sed Magister in Israël Joh. 3. v. 10. vocatur ἀρχων Johan. 3. v. 1. & Lucæ 14. v. 1. vocatur ἀρχόντων φαρισαίων. Sic qui in Concilio congregati sunt Pontifices & Pharisei vocantur ἀρχοντες Joh. 7. v. 48. Sequitur itaq; cum Marcus & Lucas dicant Iairum non fuisse Principem Politicum sed Præfectum Synagogæ, etiam Matthæum de tali Primatate loqui, qui fuerit Magister Ceremoniarum.

10. Huic Archisynagogo & Primati nomen est Hebræis non inusitatum Iairo ut Deut. 3. v. 14. Num. 32. v. 41. Ios. 13. v. 30. Iud. 10. v. 3. 3. Reg. 4. v. 13. Est autem vox Hebræa יָיִר illuminans à radice (mutata scil. litera י in י cognatam: sunt enim conversivæ & abjecta litera Heemanti) יָיִר, quod est & nomen & verbum. Significat enim vel illuxit ut Gen. 44. v. 3. vel lumen ut Genes. 1. v. 3.

11. Hic Iairus postquam ad Christum venit, dicitur adorasse Christum;

A 3,

Christum;

Christum, προσκύνει αὐτῷ quod Marcus explicat, πῖπλ πρὸς τῶς
πρόδας αὐτῶ. Ubi notanda explicatio vocabuli *Adorare*. Sumitur
primo *pro cultu civili & Politico*, qui notat externam corporis actio-
nem hominibus nobiscum versantibus & aliqua ratione nobis aut
majoribus aut æqualibus reverentiæ causa exhibitam. Sic Lothus
Angelos adoravit, quos tamen homines putavit, Genes. 19. v. 10.
sic in locis his omnibus Genes. 23. v. 7. cap. 33. v. 3. cap. 42. v. 6.
cap. 43. v. 26. non de cultu divino, sed externa tantum reveren-
tia sermo est, quæ usitata erat Orientalibus illis populis teste Li-
vio lib. 30. ubi narrat, Legatos Carthagenenses cernuos & adora-
bundos pacem a Romanis petiisse. Secundo, *pro cultu religioso*, qua-
tenus hæc adoratio, 1. ratione colentis, est Veneratio summa
sincera fide in infinitæ bonitatis sinum blandè & securè reclinans.
2. ratione ejus qui colitur, est majestas ipsa hunc honorem utpote
se sola dignum postulans.

12. Hunc adorationis seu invocationis cultum solus Deus si-
bi vendicat, tanquam Idioma seu Germanam suam proprietatem.
Eundemque fideles & Sancti omnes Christo etiam toti, hoc est,
non divinitati ejus seorsim exclusâ humanitate, sicut nec vicissim
humanitati seorsim. exclusâ divinitate, sed Christo juxta utramq;
simul naturam tribuunt, quod postea uberius probabitur.

13. Hic tamen Jairus Christum non quasi Deum adorasse vi-
detur, nondum enim ad sublimen hanc cognitionem fide ascen-
derat. Id quod verba indicant: *Veni, impone manum tuam super eam,
& vivet.* Ignorabat videlicet posse Christum solo jussu vitam
cui vellet pro Omnipotentia sua restituere. Non enim dixit
cum Centurione Matth. 8. v. 8. *Domine dic tantum verbum, & sana-
bitur puer meus.* Sola enim adversitate compulsus confugit ad
Christum, quem secure neglecturus fuisset, si absq; filiolæ morbo
fuisset. Proinde etiam fides ejus admodum fuit imbecillis, quæ
neque Regis neque Centurionis fidem ulla ex parte æquavit. Nil
enim aliud de Christo credere potuit quam esse illum virum ali-
quem Dei Prophetam & qui oratione & interpellatione sua mul-
tum apud Deum possit. Nam illud, *& impone manum tuam super
eam*, nil est aliud, quam ora super eam ad Deum.

14. Postquam ita eum adoravit, rationem addit, quare eum
accesserit, ait enim, *Filia mea modò defuncta est*, ut Matthæus refert,
vel,

vel, est in extremis, ut Marcus. Quæ Evangelistarum verba difficultatem parere videntur, dum Marcus Christum dixisse ait. *Filia mea in extremis est*, & Lucas: *Vnica filia erat ei annu ferè 12. & hæc moriebatur*. At Matthæus hæc illi verba tribuit: *Filia mea modo defuncta est*, ut scilicet mortuam suscitaret, atque sic attendisse non verba Patris de filia sua, sed quod potissimum est, verborum sensum & cogitationes, taliaque verba posuisse, qualis erat Voluntas. Marcum itaque & Lucam posuisse, quid dixerit Jairus. Matthæum autem quid voluerit & cogitarit. Poterunt propterea conciliari, si responderetur, Lucam testificari puellam ita morti vicinam fuisse, cum Pater pararet abire ad Jesum, ut interim dum ipse iret, illa moreretur, inquit enim *καὶ ὄντι ἀπέθνησκεν*.

15. Quod itaque Archisynagogus postulabat, concessit Dominus. Dominum ut veniret postulavit Primas, cui Dominus etiam morem gessit & secutus est eum non tantum cum discipulis, sed etiam cum turba ingenti, imò tanta ut etiam Dominum coardaret & comprimeret.

16. In ipsa autem, Via aliud adhuc miraculum edidit, ut Fides Principis roboraretur, in qua imbecillis erat & etiamnum vacillabat. In præcedentibus enim commemoratum est, quæ fuerit in Jairo Principe Synagogæ fidei imbecillitas. Jam ordinante Domino occasio datur, qua mulieris infirmæ, exemplo, & hujus Jairi fides imbecillis admodum corroboraretur, & simul ostendatur, quam nonnunquam quæ hujus mundi sunt, infirma excellant in fidei negotio Sanctos & Prudentes hujus mundi. Atque hoc est quod Matthæus Historiam hanc narraturus dicit. *Et ecce mulier*.

17. Referunt autem omnes tres Evangelistæ unanimiter, quod fœmina hæc profluvio sanguinis, morbo muliebri & fœdo insolito insuper & inveterato laborarit per continuos annos 12.

18. Describunt quoque Marcus & Lucas conditionem & fortunam mulieris, in eo nempe, quod non tantum morbum illi fuisse inveteratum commemorant & jam certo experimento deploratum imò magis auctum, sed etiam quod fuerit multa perpessa à compluribus, non tantum ab uno vel altero medico, sed à compluribus, quo nihil aliud dicunt, quam
quorum

quorumvis Medicorum operam in hac muliere sananda fuisse
invalidam. Fuisse præterea dicunt omnia bona jam insumpta, ut
nihil fuerit, quod aliis Medicis potuerit amplius dari.

19. Veteres scribunt ut Euseb. Eccles. Hist. l. 7. c. 17. Sozom. l.
5. c. 20. Niceph. l. 10. c. 30. *αἰμορρῶσα* hancce, uti vocatur à Matthæo,
fuisse ex Cæsarea Philippi, & sic foeminam gentile, adeoq; veri Dei
ignaram, ita ut hæc mulier in collatione ad Jairum ex sancto
Abrahami semine oriundum verè fuerit parvula una ex infanti-
bus ac lactentibus, & tamen in vera agnitione Jesu Christi &
firma in ipsum fide Jairum longè superat, ita ut in quo hanc doce-
re debuerat, ipse ab ea discere cogatur.

20. Mulier autem hæc gentilis in hac tanta calamitate & re-
bus planè desperatis videamus quid fecerit, quid valuerit fides,
imò quid præstiterit virtus & benevolentia Christi.

21. Postquam itaque hoc ipso tempore JESUS Nazarenus
per stupenda miracula genti Hebræorum se manifestaret & omni-
nò quosvis etiam deploratissimos morbos verbo ac divino nutu
suo pelleret, Ejus virtus atque fama longè lateque sparsa hanc
quoque mulierem in spem certam erexit, si illius habere copiam
liceret, futurum haud dubio ut à suo morbo liberaretur.

22. Audita ergo potentia & benignitate Christi in tot mor-
bis curandis tam admirabilem concepit fidem ex auditu, ut etiam
non dubitaret, quin solo vestium Christi tactu, etià inscio ipso
Christo, sanitatem recipere posset. Retrò enim accessit cum
pudor & metus obstaret, quo minus faceret, quæ fecerat Archisy-
nagogus. Quoniam enim scædo morbo laborabat & tali, quæ
juxta legem excludebat laborantes è civitatibus, qui que secun-
dum legem polluebat eos, qui tali morbo laborantem continge-
bant, puduit eam hujusmodi morbum palam apud Christum de-
tegere, simulque metuebat, ne à turba & præsentim Jairo, ob
immunditiam suam repelleretur, ac redargueretur, veluti suo
congressu totam turbam contaminans.

23. Et ita accedens simbriam vestimenti ejus tetigit. Hiero-
nymus huc refert vaticinium. Zach. 8. v. 23. *In diebus illis cum appre-
bendent decem homines ex omnibus linguis gentium & apprehendent in orans
viri lehudai &c.* ubi per virum Judæum intelligit Christum: in Zach.
caput octavum tom. 6, ita ut quod ibi dicitur de apprehensione
simbriæ viri Judæi, hic jam ab hac muliere sit & ad literam com-
pletum,

24. Quo

24. Quo fine autem fimbriam hanc tetigerit apparet exinde quod dixerit, si tantum tetigero vestimenta ejus, salva ero, id est, fide ita concipiebat, quod ad tactum vestis Christi sanaretur, nec eam etiam fefellit concepta de Iesu fiducia, quando quidem ita curata legitur, ut liquidò senserit fontem pfluvii exaruisse quem admodum Marcus testatur, remisisse dolores, cessasse priorem lassitudinem membrorum & in hujus locum successisse novum planè vigorem ac robur.

25. Christus autem latere miraculum hoc planè divinum noluit. Propterea enim illud ediderat, ut ab hominibus in probationem potentiae suae cognosceretur, Patefecit ergo factum, ut Marcus docet & Lucas, tum ut potentiam suam ostenderet, tum etiam ut archilynagogi & foeminae sanatae fidem confirmaret & augetet.

26. Quare ut revelationi miraculi hujus ansam præberet, rogar, quis vestimenta ejus tetigerit, ut Marcus scribit, vel quis eum tetigerit, ut Lucas explicat. Alter enim usitatè, alter propriè locutus est. Eandem tamen uterq; profert sententiam. Est enim eadem ratio, ac si usitatè dicerem, quid conscindis me, propriè autem quid conscindis vestimenta mea. Tactum autem hinc Salvator intelligit non vulgarem, de quo intellexit Petrus & alii, sed de tactu cum fide, quo tactu cum turba omnis Christum premeret, sola hæc mulier Christum tetigit.

27. Hunc tactum cum fide diligentissimè expiscatur, non quod non sciat, quis fuerit, sed ut omnibus pateret, se esse Dominum omniscium, quem nihil latere posset: Hoc enim ipsum non ex corporis sui sensibili aliqua mutatione, sed Spiritu suo divino, quem nihil latere potuit, cognovit. Quare etiam dicit, certo quempiam tetigisse eum, cum à se virtutem exiisse noverit.

28. Ubi merito quæritur, quæ fuerit illa virtus, quæ à Christo exiisse dicitur. Montanus in Scholiis Matth. 9. sic respondet: *Virtus verè exibat ex Christi corpore, quæ sanare etiam posset gravissimis morbis affectos. Illa autem virtus vestibus etiam communicabatur, ut odor boni ungenti vestibus fragrantiam præstat.* Sed à Christo virtus talis divina odoris seu ungenti instar emanare non potuit. Christus enim est ipse Sol justitiæ, cui radios emittendo nihil decedit, sed puteus est gratiæ inexhaustus. Placet itaque, potius sententiam

B

magni

magni istius Theologi Hunnii quam habet c. 9. in Matth. super hunc locum ad jungere.

29. *Quæris, inquit, quo sensu virtus exiisse dicatur è Christo? Certum est de virtute divina & miraculorum effectrice loqui Dominum; ea verò non per aliquem defluxum egredi è Christo poterat, cum invariabilis & incommutabilis illa sit: sed nec ut odor è vino paulatim exspirat: sed egressus ille denotat potentia vivi sic, qua ratione actus primi in Christo permanebat, sensibilem declarationem miraculosam per actum secundum, ut sit mens verborum Christi, quod virtus Deitatis τὸ Ἄβυσσος quidem essentialiter propria: in assumpta verò natura plenitudine universa sua habitans sese per carnem ipsius seu humilitatem efficaciter exseruerit in curanda muliere.*

30. Mulier itaque cum videret Christum nequaquam latere, quod ipsa adeo occultè commiserat, sed & circumspicere eam, quæ hoc fecerat, compulsæ cōscientiæ vi, licet tremens & timens, prodit è turba & ante pedes Christi procidit, confitens omnem rei veritatem ex animo cunctis qui aderant audientibus. Quam etiam Christus consolatur his verbis. *Confide filia, vel, ut Marcus, Vade cum pace*, cum quod jubet esse securam, tum quod vocat filiam. I. eam pro sua agnoscit, deinde ea, qua venerat, ut illam fide confirmaret, & archisynagogum, quid credere deberet, admoneret, dixit, *fides tua te servavit*, hoc est, ea fiducia, quam bene de me concepisti, effecit, ut sanitatem jam sis adepta. Non itaque opus ut formides quasi datam sanitatem sim ablaturus, quin potius illam tibi stabilio ac confirmo. *Esto sana deinceps.*

31. Nec sunt pugnantes inter se duæ hæc propositiones: *Virtus exiens à Christo sanavit hanc mulierem: & fides tua te salvam reddidit.* Virtus Christi quidem revera sanabat omnes, quotquot sanabantur. Marc. 6. v. ult. & Luc. 6. v. 19. Virtus de illo exhibat & sanabat omnes, quotquot sanabantur, sed propriè tanquam causa efficiens principalis & offerens salutis nostræ ut Actor. 4. v. 12. dicitur, extra Christum non est salus. Fides autem id facit tanquam causa instrumentalis, neque alio instrumento Christum ad salutem apprehendere possumus Johan. 3. v. 16. c. 5. vers. 24. Actor. 13. v. 39. Rom. 3. v. 28. &c.

32. Nec est quod quis dubium moveat & scrupulum quærat ex verbis Matthæi, quando dicit mulierem salvam factam esse ab illa hora, cum tamen confestim ac tetigit, siccatu sit fons sanguinis,

nis sanata mulier à plaga ista, Dominus item dixerit, Novi virtutem à me exiisse, alias quare quæsiisset, quis me tetigit. Resp. igitur, quod dicitur *ex illa hora*, quâ Christum mulier tetigit, & non de ista, quâ Christus hæc locutus est. Quod verò ait Marcus: Vade in pace & esto sana à flagello tuo, non significat ante sanam non fuisse, cum apertè Marcus dicat, *in tactu vestimenti siccatur fontem sanguinis*. Sed sensus est verborum: Esto sana à plaga, hoc est, placeat mihi, quod sana permanes à plaga tua, nec displicet hoc furtum tuum, ut loquitur Origenes. Et hæc sit resolutio primæ partis, cui subjungendæ.

QVÆSTIONES DUBIÆ EX HAC PRIMA PARTE.

1. An historia Matthæi 9. sit eadem cum illa, quæ est Marci 5. & Luc. 8. Andreas Osiander in annotationibus ad Harm. Evangel. & quidem in caput 43. est in hac opinione, Historias has plane esse diversas. Verba ejus sunt: *Habet & hoc caput Historiam de Filia Primate à morte exsuscitata, cujus altera illa, quam Marcus quinto & Lucas octavo capite scribunt, prima fronte tam similis est, ut haud sciam, an ante nos quisquam extiterit, qui utramq; ab altera diversam esse perspexerit. Sed bene habet, quod hic idoneis & evidentibus argumentis abundamus, quibus diversitatē evincere possumus &c.* Rationes autem & argumenta sunt, quæ sequuntur. Primum est à diversitate loci: Quod Matthæus scribit hunc Primate ad Christum venisse, cum Christus in convivio, quod ei è telonio vocatus in domo sua paraverat, adhuc discumberet & contra Phariseos murmurantes acriter disputaret. Apud Marcum autem dicitur, cum adhuc esset circa mare, quod tum recens trajecerat. Sed ad hoc argumentum satis superque responsum thesi 6. Secundum desumptum à tempore. Marcus enim & Lucas cum Matthæo de tempore vocationis ipsius consentiunt, sicut apertè ostendit Elenchus, & tamen longo post tempore Jairum ad Christum venisse dicunt, cum Matthæus Primate suum sub ipsius convivii tempus affuisse tradat. Resp. nullam dari consequentiam ex hoc argumento, ipse enim nunquam probare poterit, quod Evangelistæ nihil extra suum locum & ordinem scripserint, nihil per anticipationem, nihil per recapitulationem. Quare etiam hanc suam opinionem argumento hoc à tempore desumpto nunquam stabilire poterit. Tertia ratio est à personis; quod apud Mar-

zhaum vocetur ἀρχων : apud Marcum & Lucam Iairus Archisynagogus :
Sed ad hoc objectum responsum dedimus thes. 9. Quarta est,
à re ipsa, quod Primas apud Matthæum ad Christum venerit, cum filia iam
esset mortua. Apud Marcum & Lucam cum filia eius adhuc viveret. Hujus
rationis solutionem vide thes. 14. Quinta ratio est : Si Christus duos
è virili sexu excitavit, conveniebat item ut è muliebri sexu itidem duas exci-
taret, alias enim hic Sexus apud Christum deterioris conditionis esse videretur.
Resp. nihil hinc inferri, si Christus vel centum excitasset, non ta-
men sequeretur, has esse diversas historias ; neque etiam id Sexui
fœmineo benè convenit, quod nos convenire putamus, sed quod
Deus facit ac docet. Sexta est, quod Matthæus pauciores habeat cir-
cumstantias quàm reliqui. Sed ad hoc responder Augustinus : Non in-
terest ad rei veritatem, quod ab alio aliquid tacitum, ab alio dicitur. Con-
fer thes. 4. Manet itaque firmum, Matthæum non diversam de-
scripsisse Historiam ab illa, quam Marcus & Lucas narrant.

QVÆSTIO II.

An in nostris calamitatibus debeamus statim accedere ipsum Christum, an
verò auxilium petere à Sanctis? Resp. Sanctos quidem honorare &
venerari debemus, sed non quovis modo, neque pro Arbitrio Ro-
manorum Præsulum sed juxta Scripturæ sententiam & exempla.
Sententia a. Scripturæ est. 1. Joh. 2. v. 1. non opus esse, si quis pecca-
verit, ut adeat Sanctos, & ab eis auxilium petat, sed habemus Advocatum,
inquit Johannes, apud Patrem Iesum Christum justum. Exem-
plum autem præbent nobis Archisynagogus & hæmorrhousa.
Hæ enim personæ non prius alloquuntur discipulos, sed statim
accedunt ipsum Dominum Christum. Quare qui Sanctos ado-
rant, Deum honore proprio spoliant & privant, à quo peccato-
summo pia mens abhorreat.

QVÆSTIO III.

An caro Christi sit adoranda. Resp. Licet ex hac sola Historia
c. 9. vers. 18. Apodicticè non possit demonstrari, Christum etiam
secundum humanam naturam debere adorari, quoniam Archi-
synagogus hic adhuc nimis in fide fuit imbecillis, Christumque
nondum ut verum Deum agnovit, sed tantum Prophetam quen-
dam esse putavit, utique etiam divinum hunc honorem soli Deo
proprium

propriū eidem tribuere non potuit. Quod quoque obiter contra Jesuitas notandum, qui statim aspecta *προσκύνησις* vocula adorationem divinam volunt, & per consequens etiam probare talem *προσκύνησις* Sanctis deberi. Ex *ἀποδοσει* tamen contra Calvinianos hic locus facile urgeri potest, siquidem tum præsuppositum est, hunc Christum non solum hominem, sed & Deum omnipotentem esse, præsertim si ex aliis locis instituat collatio, ubi *τὰ* adorare, sicuti Christo tribuitur, idem est, ac divinum planè honorem Christo secundum utramque naturam conferre.

QVÆSTIO IV.

An usus Medicinæ damnandus? Sic volunt Anabaptistæ, idque colligunt ex hoc loco, ad quod etiam probandum adducunt locum 2. Paral. 16. v. 12. de Assa, quem Scriptura, ut jaçant, propter usum Medicinæ reprehendit, sed stultè certè colligunt. Non enim illi sanius agunt, quàm si usum cibi magni morbi, famis scilicet. medicinam, interdicerent. Sed nec Deo invisæ est medicina, si modò ea rectè fruimur, aliàs enim nunquam ita omnium plantarum & animalium cognitionem, quæ Medicæ artis præcipua portio est, tanquam eximium donum Salomoni Regi contulisset, ut 3. Reg. 4. v. 33. scribitur, Adhæc Salomon Medicinam donum Dei esse demonstrat & Medicos honorandos Eccl. 38. v. 1. Honora Medicum propter necessitatem etenim illū creavit Altissimus, & postea, v. 8. Altissimus creavit de terra Medicinam, vir prudens non abhorrebit illam, & Eccles. 18. ante langvorem adhibe Medicinam. Quod autem ad Assæ exemplum attinet, hic non culpatur ob medicinæ usum, sed quod Dominum in infirmitate sua non quæsierit, sed magis in Medicorum arte confisus sit. Agnoscat ergo pius morbo correptus se à Domino corripì, ne cum hoc mundo damnetur. 1. Cor. 11. v. 32. & ideo ad corripientem Patrem seprimò debet convertere per fidem, & sic in nomine ipsius, quæ ad medelam corporum condidit, cum gratiarum actione utetur. Omni tamen fiducia collocata in bonitate Dei à quo est omnis medela.

QVÆSTIO V.

An virtus vivifica competat Christo secundum carnem? Quod ipsum sincerè affirmamus, tamen non summo illo modo, quo Deitati competit.

competit. Deitatis namque Λόγος essentialis est proprietas, eique originaliter competit operari miracula. Humanæ verò naturæ per unionem tribuitur qua mediante ungitur Christus S. S. & virtute & quidem virtute ea qua indutus obambulavit beneficiendo & sanando omnes oppressos à Diabolo. Sic in præsentī Historia sentit verè in sua humanitate potentiam signorum Dei operatricem sese per carnem exserere in sananda hæmorrhosa. Atque hoc ipsum repetitur Luc. 6. 19. ubi legitur, quod omnis turba quæ siverit eum tangere (tangebatur utique secundum carnem) quia, inquit Evangelista, virtus exibat ex illo & sanabat omnes. Habitat enim in Christo ratione carnis omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Neque verò ociosè in ea habitat, sed maximè ἐνεργητικῶς. Idcirco Prophetæ & Apostoli in describendis miraculis Christi non nudi seu absoluti Λόγος sine carne sed Messia miracula describunt, ad quæ facienda secundum carnem, unctus est virtute Λόγος propria. Videatur iterum magnus Hunnius in caput 9, Matthæi.

QVÆSTIO VI.

An Christus sit verus Deus? Hunc articulum ex professo hoc loco tractare licet non sit animus, tamen cum & quædam argumenta ex hoc ipso Evangelio satis firma deduci possint, ea præterire nos nequaquam decebit. Primum itaque esto: cuicumque inter reliqua divina attributa competit attributum soli Deo proprium, is est verus Deus. At Christo comperit Omniscientia & Sapiaentia, quatenus est attributum soli Deo proprium. Ergo Christus est verus Deus. Minor probatur ex Marci 5. v. 30. & Luc. 8. v. 46. Ille enim statim cognovit virtutem quandam à se exiisse. Quod ipsum etiam ex aliis facilè probare possumus locis, in quibus de ipso dicitur, quòd sit sapientia Dei, Matth. 11. 19. Luc. 7. 35. 1. 49. 1. Cor. 1. 24. quod probet corda & renes, quod tamen folius Dei proprium. Apoc. 21, 23. sic etiam passim annunciat in concionibus suis futura. Secundum erit: Quicumque divina & supernaturalia miracula propriâ vi & per se ipsum efficit, is est verus Deus. Atqui Christus divina & supernaturalia miracula propriâ vi & per se ipsum efficit. Ergo. Major certa est & probatur ex Psal. 72. v. 18. 86. v. 8. *Non enim sicut tu Domine, nec sunt secundum opera tua* v. 10. *quoniam*

quoniam magnus es tu & facis mirabilia, tu es Deus solus. Psal. 136, 3.
Celebrate DEVM DEORVM, v. 4. qui facit mirabilia solus. Esa. 41. v.
18. Aperiam in excelsis flumina & in medio camporum fontes &c. v. 19. po-
nam in deserto cedrum. v. 20. ut videant & cognoscant, quod manus Iehovæ
fecit istud. Vide CL. Dn. Præsidentem, Præceptorem meum æter-
num venerandum Tom. 1. Locor. Commun. Theolog. Minor
probatum tum ex aliis locis plurimis, tum ex nostri Evangelii ver-
sibus 21. 22. & 25. Matth. 9. ut & Marci v. 28. 29. 34. 41. & 42. Sic &
Lucæ 8. v. 44. 47. 48. & 54. Addidimus in minore, quod per se
& vi propria hæc efficiat miracula, ad notandum discrimen mira-
culorum Prophetarum & Apostolorum, atque ipsius Christi. Illi
enim non propria sed aliena, hic verò propria virtute miracula
ista facit, ut videre est ex Marci 5. v. 30. Lucæ 8. v. 46. Quare invi-
dè concludimus, Christum esse verum Deum ejusque divinita-
tem ex hoc loco probare possumus, quod erat demonstrandum.

QVÆSTIO VII.

An impii & increduli verè participes fiant in Sacramento altaris corporis
& sanguinis Christi? Negant hoc ipsum. Musculus in locis pag. 821.
Zanchius tom. 1. Miscell. p. 65, item tomo 3. p. 335. Gualt. f. 114. & 115. in
Iohan. Beza in νεωφαιία fol. 260. & 261. adducunt hanc rationem.
Si Hypocritæ verè fide orbat participes redderentur carnis & sanguinis Chri-
sti, futurum foret, ut & illi vivificarentur, quandoquidem caro Christi semper
fit vivifica. Sed conseq. esse absurdum, E. & prius. Sed Christianus
Lector facile animadvertit, quantâ facilitate syllogismi hujus con-
sequentia ex hoc nostro Evangelio solvi possit. Quanquam
enim semper vi unionis cum Ἀδύω corpus Christi est vivificum
(quod tamen aliàs Calvinianos negare & totis viribus oppugna-
re obiter notabis) ac manet etiam vivificū sive tractetur à dignis
sive indignis: Vivificationis tamen ἐνεργειαν seu actum secundum
non necessariò semper profert ad quosvis. Potest enim ἐνεργειαν
vivificandi pro voluntate suà in Cœna Domini exercere, ut in cre-
dentibus, vel suspendere, ut in incredulis, non minus ac hic vi-
vificandi virtutem profert, ad mulierem, ad reliquos autem, qui
ipsum itidem tangebant, imò comprimebant & stringebant mi-
nimè proferebat, manet itaque Calvinianam hanc consequen-
tiam esse planè nullam.

QVÆSTIO



QVÆSTIO VIII.

An Sanctorum reliquæ more Papistico religioso cultu venerandæ, adorandæ & in necessitatibus invocandæ, vel etiam candelis, serico, corollis aliisque ornamentis cultus gratia decorandæ & ad maiorem Iuramentum religionem adhibendæ sint? Ita volunt Jesuitæ, eorumque asseclæ. Sic enim Concil. Trident. parte quarta statuit: Sanctorum Martyrum & aliorum cum Christo viventium sancta corpora à fidelibus veneranda esse atque affirmantes Sanctorum reliquæ venerationem atque honorem non deberi veteras aliisque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari atque eorum opis impetrandæ causa, Sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit & etiam nunc damnat Ecclesia. Alphonsi Salmeronis Toletani tomo Sexto operum tractatu. 15. verba de hac quæstione sunt talia: Objiciunt, inquit, Heretici, quorum ista mortuorum ossa & cineres? Quibus respondendum est, quorsum sudaria & semicinctia Pauli & quare umbra Petri sanabat infirmos? Quorsum Helisei Prophetæ eadavere tacto ab alio corpore Prophetæ qui iussit se juxta illud sepeliri, ad vitam revocatum est &c. Eundem in modum quoque scribit Cornelius Jansenius Episcopus Gandavensis parte quarta commentariorum in Hiltor. & Concord, Evang. c. 34. p. 219. Porro his jam exemplis, ait, manifestè refellitur impia hæresis Vigilantiæ, & eorum, qui ejus errorem hodiè velut ab inferis resuscitarunt, clamantes superstitiosum esse venerari Sanctorum reliquias atque eorum contactu sperare salutem aliquam desideratam, &c. Quin & Costerus Conc. 23. post Pentec. horum sententiæ subscribit, dum ita scribit. Hæc mulier confundit sanè omnes Hereticos, qui reliquias Christi aut Sanctorum honorari nolunt, cum antiquo heretico Vigilantiæ qui ob istam hæresin ante millies ducentos annos ab Ecclesia sancta damnatus & exterminatus est, Et paulo post: Igitur teneas Catholicam fidem, ores Sanctas, honores eorum reliquias nec dubites de auxilio ipsorum & de defensione tui adversus Dæmonem, qui timet illorum virtutem & magnam vim, atque hereticos docet eos criminari, reliquias illudere, rejicere & immutare, & Christo in Sanctis suis ignominiam inferre. Hæc est de Reliquiis communis Jesuitarum opinio, quæ quam impia & planè falsa sit, ex sequentibus argumentis facilis & plana erit dijudicatio: Ut autem commodius & rectius id fiat, principio omnino præsupponendum, nos de corporibus, ossibus & reliquiis Sanctorum demortuorum nequaquam sentire aut docere, vel contempnim ea habere.



habenda vel irreverenter & irreligiosè tractanda esse. Sanctifi-
cata enim sunt per Christum corpora fidelium hominum, quæ
fuere templū Spiritus S. & organa præstantissimorum operū, sicut
etiam sepulchra piorum reddita sunt gloriosa per eundem, unde
Scriptura, *Preciosa*, inquit, *in conspectu mors Sanctorum ejus*. Quod a-
eatenus adoranda, veneranda, &c. quemadmodum in quæstione
ponitur, hoc est, quod negamus, idque his rationibus ostendi-
mus. 1. Cum sacra Scriptura nobis sit canon seu regula, (ideoque
etiam Canonica vocetur) ad quam exigendum & secundum
quam dijudicandum est, quicquid sive de dogmatibus sive de cul-
tibus in Ecclesia Dei disputatur, consequens etiam erit, ut secun-
dum hanc regulam quæstio hæc examinetur & dijudicetur. Jam
autem nullum extat mandatum divinum de religioso cultu Reli-
quiarum, nusquam Scriptura docet, Sanctorum ossa monstranda,
osculanda, veneranda, coram illis procidendum &c. Verum do-
cet potius ossa illa terræ, communi omnium matri esse demandan-
da, *Pulvis es & in pulverem reverteris* Genes. 2. v. 19. quare etiam in
Scriptura multæ descriptiones funerationum, multæ item func-
rum curationes, & quidem magnificæ & sumptuosæ in V. T. ex-
tant, nihil verò tale in istis descriptionibus legitur, sicuti Pontifi-
cii de cultu reliquiarum docent, sed tantum, quod funera piorum
honorificè curata, reverenter ad sepulturam deducta & religiosè
in monumentis condita & asservata sint. Idem legitur in N. T.
de sepultura Johannis Baptistæ Matth. 14. v. 12. Marci. 6. v. 39. ut
& Stephani Actor. 8. v. 2. *Regeris Jesuita Apostolorum sudaria &
semicinctia* Act. 19. v. 12. *& umbram Petri* Actor. 5. v. 15. *in magno precio
habitans fuisse*. Resp. est mera ἀνακολούθησις nullaque datur conse-
quentia: quomodo enim hinc inferes, si umbra Petri fuit magno
precio. Ergo reliquiis Sanctorum seu umbræ Petri adhibendus
est honor divinus? Vide Theologos magnos Chemnicium in
Exam. Concil. Trident. & Mentzerum contra Pistorium. Se-
cunda ratio. De quocunque nulla extat promissio, quod Deus
velit in conferenda gratia esse liberalior, illud etiam hunc ob fi-
nem non est tentandum. Atqui in Scripturis nulla extat pro-
missio de cultu reliquiarum, quod velit Deus apud ejusmodi reli-
quias ad gratiam conferendam esse liberalior. Ergo nec tale
quid eum ob finem tentandum. Profers forsan arcam Domini?
C respon-

respondeo, hæc habet expressum verbum Domini, quò tuæ Reliquiæ Papisticæ destituuntur, ac proinde huc ineptè accommodatur. Terria est, quod de hoc cultu nullum extet Exemplum vel Propheticum vel Apostolicum. Nuspiam enim legitur, quod cursus ad Sanctorum sepulchra sit factus aut invocatio instituta, aut ossa eorum eruta, aut effossa & circumgestata fuerint, aut peregrinationes institutæ, nec gratia illic qua sita additis indulgentiis, imò nunquam fuit hic usus nisi apud Phariseos & scribas, qui exornabant sepulchra Sanctorum, & hoc ipso profitebantur, se socios eorum, qui Prophetas occiderunt. Math. 23. v. 27. Taceo quarto, quàm multa insint isti venerationi superstitiosa, impia, Ethnica, idololatrica, quantæ fraudes, imposturæ, figmenta, fabulæ, quod facile ex ipsis Papisticis Scriptoribus edoceri potest. Sed videmur tibi, Jesuita, in veteri Ecclesia ante mille ducentos annos damnati, quod Reliquiis Sanctorum Martyrum non deferimus honores tales Jesuiticos, ideoque etiam Vigilantii discipulos nos esse clamitas, sed respondemus, longè diversissimã esse rationem in Vigilantio & in nostratibus. Ipse enim sicuti Hieronymus idiplum ei tribuit, sensit, reliquias Martyrum immundas esse, cilicio colligendas & in sterquilinum projiciendas, quare etiam merito damnatus fuit. Nos autem huic sententiæ non subscribimus, ut videre licet ex dictis præcedentibus, dum videlicet Sanctos dicimus nec irreligiousè & irreverenter habendos, nec tamen adorandos, quod posterius ne quidẽ Hieron. pbare audeat, constat itaque causas damnationis non fuisse illas, de quibus Pontificii in hac controversia dimicant, sed longè alias. Coronidis loco notetur obiter, Salmeronem egregiè errare, dum duas diversas historias loco citato confundit: neque enim is qui tactu ossium Elisæi in vitam revocatus est, fuit Propheta, nec jussit se in illud sepulchrum projici, ut constat ex 2. Reg. 13. v. 21. Quare cum Salmeron digitum intendit ad Historiam 1. Reg. 13. v. 32, diversas duas Historias ridiculè confundit. Manet proinde ratum ac firmum, Reliquias Sanctorum non contempnim quidem habendas, interim tamen etiam non adorandas esse, quod erat probandum.

QVÆSTIO IX.

De Eucharistia adoranda? Ita vult Costerus Jesuita ex hoc Evangelio

gelio versu scilic. 18. c. 9. Matthæi concludere, Eucharistiam totam non solum in ipso usu, sed & extra usum in sacratio & publicis circumgestationibus adorari debere. Rationes ejus habebis concione 23. post Pentecostem, quarum prima: *Vbi Christus est, ibi adorandus* subsumit: *Christus est in Eucharistia E. & adorandus.* Resp. sano sensu facile nos concedere hunc syllogismum, imò nos potius urgere, ipsum Dominum, qui præsens in Eucharistia adest, adorandum esse, nihil itaq; hæc conclusio contra nos facit. Dum enim probare debet Costerus, ipsam Eucharistiam, quæ constat re terrenâ & cœlesti, debere adorari, probat ipse, Christum esse adorandum. Quod autem Eucharistia ipsa non sit adoranda, probari potest, quia 1. Adoraretur Elementum & res terrestris, qui n. adorationem non solum dirigit ad Christum sed etiam ad panem, is *præter Creatorem adorat etiam creaturam* Rom. 1. v. 25. 2. Adoratio vera sine fide fieri non potest Rom. 10. v. 14. Fides autem sine verbo esse nequit, cum itaque careamus verbo, quo Eucharistiam adorare jubemur, cadit & fides. 3. Ostendat Jesuita unicum in Sacris exemplum ubi discipuli ad Eucharistiæ porrectionem surrexerint ut eandem adorarint, quod procul dubio fecissent, si adoranda foret. Secundum Jesuitæ argumentum est. *Christus à tribus Regibus fuit adoratus in præsepio. E. Sacramentum in altari est adorandum.* Resp. Enthymema hoc narrasse, refutasse est: illic fuit Deus & homo adoratus, habemusque ad id verbum & exempla in Scriptura. Hic autem non tantum res cœlestis proponitur verum etiam terrestris, quam si adorare velis *ἀερολατρείας* culpam effugere non potes. Sicut enim eo in loco Christum *θεῶν θεῶν*, sed non præsepe adorarunt Magi, sic etiam in Sacramento Cœnæ præsens Christus adorandus, non verò panis & vinum. Distingvendum enim est inter adorationis objectum, quod est Christus Deus Homo, & inter objecti Adjunctum externum, quod præsepe & vestes fuerunt. Ergo si panis consecratus non est alio modo adorandus, quàm quo adorandæ vestes & præsepe nullo modo cultu latriæ adorandus erit. Tertio dictum Psalmi 22. v. 27. & 29. *Adorabunt in conspectu ejus universæ familie gentium. Manducabunt & adorabunt omnes pingves terræ.* malè huc accommodatur. Siquidem non negamus, in usu Cœnæ Christum esse adorandum, imò etiam urgemus & inculcamus, cum *ἀνάμνησις* & annunciatio

mortis ad salutarem sacræ Cœnæ usum pertinens sine adoratione illa, quæ fit in Spiritu & veritate, locum non habeat. Quod a, dicitur, *manducabunt & adorabunt*, non sequitur inde, quod ipsum Sacramentum Eucharistiæ, monente Domino Chemnitio, seu totum illud, quod à Christo, ut sumatur, institutum est; etiã patriæ cultu adorandum sit. Constat enim duabus rebus terrenâ & cœlesti, ideò adorationem dicimus esse, dirigendam non ad terrenâ Elementa panis & vini, ne præter creatorem etiam creaturam colamus, sed ad Christum Deum & hominem, qui in illa actione verè præsens suum corpus & sanguinem nobis distribuit. Quartò pergit Costerus dicto loco: *non ergo erubescas genua flectere ante hoc sacrosanctum Sacramentum*. Resp. nil contra nos hoc facere, non enim de externa reverentia, quæ in distributione & sumptione Eucharistiæ adhibetur, propriè hoc loco quæritur: ipsimet namque dicimus, externis gestibus interiorem reverentiam esse declarandam. Qui enim verè & ex animo credit, Christum ipsum in actione Eucharistiæ verè præsentem suo corpore & sanguine nos pascere, is genuflexione & reverentiâ externâ interiorem fidem ac devotionem suam testabitur. Commisit itaque Costerus fallaciam *ἐπιτροχίσματος*: dum enim ipse internam devotionem probare debebat, probat tantum externam reverentiam. Concludit jam quintò: *non tantum debes in sacra Processione circumferre &c. sed etiam tanquam DEVM nostrum adorare, invocare &c.* Verum cum hæc circumgestatio &c. 1. careat mandato divino, 2. adversetur mandato de edendo & bibendo, 3. quoq; nullum Exemplum Apostolorum habeat, quin imò cum Paulus, qui tamen ad Corinthios diligentissimè de Eucharistia scripsit, inclusionis, circumgestationis & adorationis nullo verbo meminerit, non nisi planè impiam hanc esse judicare possumus.

SECUNDA PARS.

THESIS.

33. Miraculo hoc ita ad finem perducto, *veniunt quidam à Principe synagoga*, id est, ab Archisynagogi domo, sicut Terentius dixit: *exit à nobis*, id est, à nostra domo, ne, quis offendatur absurditate quadam, quam sermo hic primâ fronte præ se ferre videtur, quasi innueret,

innueret, nuntios hos missos ab Archisynagogo, cum ille Christo adesset, quare etiam in quibusdam exemplaribus *pro ab Archisynagogo* reperitur *ad Principem synagoga*. Hi nunciarunt, quod filia mortua sit, monent igitur ne ulterius Magistrum vexet, *σκούλην* enim molestiam exhibere significat & fatigare aliquem. Quamprimum Christus hoc nuntium audit, statim dicit Iairo: *Ne timeas: μόνον πίστευε, solummodò crede & salva erit.* Videmus hinc; solam fidem esse unicum istud instrumentum, quo remedium aduersus omnia mala, quæ saluti nostræ officiant, apprehendimus.

34. Ordine igitur, quæ in hoc miraculo occurrunt, singularia videbimus. Occurrunt autem præcipue duo. Primo *Præparatio*, qua viam sibi sternit ad miraculum edendum, illiusque fidem facit; deinde *miraculum ipsum*.

35. Consistit autem præparatio. 1. in eo, quod assumpserit ex tota turba, quæ ipsum sequebatur, tantum Petrum & Jacobum & Johannem fratrem Jacobi, quos rebus maximè arduis & insignibus cominus spectandis præ ceteris adhibere consueverat. Nam & in monte sancto Matth. 17. v. 1. Majestatem suam in illustri & gloriosa illa transfiguratione sua contemplandam eis exhibuit; & tertio cum esset luctaturus Marci. 14. vers. 17. cum mortis angustia in horto, antequam caperetur, iterum hos tres secum ab aliis separatos deduxit. Hos paucos itaque ut & Patrem & Matrem puellæ, ut interessent, delegit; ex parte quidem puellæ Parentes ejus, qui fide digni testes esse possent, editi signi, ex parte v. sua, tres nominatos Apostolos.

36. Secundo, quod & submoverit tibicines turbamque luctum tumultuantem & plangentem, non solum ut humilitatis præberet exemplum & omnem ostentationis notam evaderet, sed multo magis ut Pharisæorum declinaret invidiam, à quibus tempus nondum venerat ut pateretur, atque in se turbæ favorem accenderet, dum eum mortis Dominum agnosceret.

37. Tertio consistit & præparatio in hoc, quod immodicum illum ploratum & tumultum propter mortuam puellam corripit. Hoc loco non absque re quæri posset, *an amici mortui sint lugendi?* Resp. bona conscientia id fieri à Christiano homine posse, idque probari tam *scripturæ dictis* ut Eccles. 7. v. 3. item 38. v. 16. quam *Exemplis*. Abrahamus enim suam Saram Genes. 23. vers. 2. Josephus

cum fratribus Parentem Jacobum Gen. 26. v. 3. Israëlita Aarōnem & Mosen Deut. 34. v. 8. Vidua Naāmitica filium suum Luc. 7. v. 12. & alii Sancti alios suos demortuos luxerunt, adeoque ipse Christus lachrymis suis persecutus est, mortem Lazari amici. Joh. 11. v. 35. Verum enim verò sicut naturale est in obitu cognatorum flere & lugere; quia tamen gentes, quæ nullam spem resurrectionis habuerunt. 1. Theff. 4. vers. 13. modum in lugendo excesserunt, Deus in lege sua certa mandata dedit, quibus populo suo præscripsit, ne gentilium morem hac in re imitaretur Levit. 19. v. 28. Deut. 14. v. 1. Immodicum itaque luctum Deus in populo suo corrigit, dum incisuram & calvitium super mortuo damnat. Quare moderandus est luctus, cum sciamus quàm optime cum illis actum esse, qui in fide & pietate discedentes, omnes hujus vitæ misérias cum æterna felicitate commutarunt. Eccles. 38. v. 13. & 22.

38. Modus autem in lugendis mortuis observatus in Sacris non occurrit uniusmodi; quidam enim brevius, diutiùs alii mortuos suos luxerunt. Gen. 50. legitur, quod Joseph super faciē Parentis sui ruerit flens & deosculans eum, utque Patrem condirent Aromatibus jussit, postea autem 70. diebus eum fleverit. Deinde v. iverint cum Josepho senes domus Pharaonis, cunctiq; majores natu terræ Ægypti, domus Joseph cum fratribus suis &c. veneruntque ad Aream Atad, quæ sita est trans Jordanem, ubi celebrantes exequias planctu magno & vehementi impleverunt septem dies. Sed Deut. 34. v. 8. triginta. Eccles. 22. v. 13. Septem dies ad luctum destinantur. Certi adeo limites modò, qui in mortuis lugendis observari debent, vix præfigi possunt, ea verò lugendi mortuos, turissima ratio est quæ pietati, rectis affectionibus & publicæ ubique honestati maximè congruit, modò luxus, superbia & impietas omnis procul absit; Ut sunt, qui habitu lugubri majorem superbiæ luxuriam, quàm animi tristitiam declarant.

39. Sed quid hoc loco, inquiet aliquis, opus tibicinibus? Resp. Musica ad gaudium & fletum cōmoda est ut augeatur & solenniter celebretur, milites v. ad prælium eā utuntur. Solebant itaq; apud Judæos Tibi cines ad luctum adhiberi, ut constat ex Josepho l. 3. de Bello c. 15. sic scribente: *Per singulas domos itemq; cognationes,*
amisso.

amissorum quisq; lugebatur à suis, luctus verò Ducis publicus erat. Et hi quidam hospites alii propinquos, amicos alii, nonnulli etiam fratres flebant. Iosephum autem universi, adeò, ut per 30. dies, nunquam lamenta in civitate Ierusalem cessarent, magnaq; mercede conducerentur tibicines nœniarum. Hæ autem Nœniæ cantus lugubres appellantur, & ἀυληταὶ fuerunt, qui in funere præcedebant, & nœniam funebrem defuncti laudes & virtutes continentem præcinebant, erantque accomodate ad excitandum mœrorem apud Spectatores & Auditores. Faciebant autem hoc ipsum, quemadmodum alia etiam multa, ad imitationem Ethnicorum, apud quos tales tibicines adhibitos fuisse funeribus, docet Alexander ab Alex. l. 3. c. 7. his verbis: *LECTO constrato Purpura aut linteis splendens & in eo defuncti corpore collocato post ultimam conclamationem tibicine præcedente, qui nœniam funebrem, qua laudes defuncti & facta recensebat, tum pudorem, integritatem & fidem non saltabundus, ut olim, sed stans Phygio modulo caneret, funus procedebat &c.* Huc spectat illud Plutarchi lib. de indust. Animal de Pica funeri tibicines admirabiliter imitante.

40. Quarta præparatio est hæc, quod filiam dicat non mortuam esse sed dormire. Quid ergo? nesciebat eam esse mortuam? sciebat utique. Parentibus quidem & huic turbæ tumultuanti, imò orbi universo, sibi quoque ipsi verè erat mortua Puella. Christo autem Dei & hominis Filio, cui omnia vivunt, non erat mortua sed dormiebat, dormiebatque ad gloriam Dei suscitationem ejus expectans. Quando itaque dicit puella non est mortua, sed dormit, non negat verè mortuam esse secundum naturam, sed loquitur, quomodo ipsa res sese habebat in oculis suis, non pro ut habebat in oculis eorum, qui mortuam lugebant.

41. Nec sicco tamen pede præterire possumus, quare mors à Christo dicatur somnus. Principio autem notabis mortem dupliciter considerari, primò prout in se & per se consideratur, & ita est truculentissimus hostis humani generis & πάντων φοβερῶν φοβερῶτατον, ut loquitur Aristoteles. Eatenus si mors consideretur, facile apparet, eam non esse Epicuræorum more irridendam, sed maxime formidandam, sicut etiam hac ratione lairus terretur nuncio mortis. Secundò, quatenus mors respectu Christi consideratur, qui eam novo titulo insignit & somnum vocat, sicuti hæc comparatio & appellatio admodum frequens est in Scripturis Deut. 31. v. 16.
2. Sam.

2. Sam. 7. vers. 12. 1. Reg. 2. vers. 10. Dan. 12. vers. 2. Matth. 22. v. 32.
Johan. 11. vers. 11. Actor. 7. v. 60. 1. Cor. 11. v. 30. & passim alibi vide-
re est,

42. Appositè autem hoc Epitheton accidentarios mortis
effectus considerandos proponit: Convenit enim somnus cum
morte 1. *Communitate*: Sicut enim somnus omnibus & singu-
lis hominibus est communis, sic etiam non minus statutum est &
singulis hominibus semel mori. 2. *Celeritate*: quemadmodum
enim defatigati inopinantes somno obruimur; ita quoque mors
non rarò subito ingruit, etiam tùm, quando maximè securi sumus.
3. *Exuscitationis facilitate*. Dormientes enim facile excitari pos-
sunt, si vel nomine proprio vocentur, vel arreptà manu concutian-
tur: ita Christus in novissimo die excitabit corpora etiam in mor-
te putrefacta, quando *καλέσμεν* & voce tubæ venerit ac dixerit:
Surgite mortui, venite ad iudiciũ: Venit enim hora, &c. Joh. 5. v. 28. 4. *Tran-*
quillitate: Homo enim dũ dormit non curat, quid circũ se agatur,
an homines rideant vel fleant, an edant vel bibant, an saltent vel
pugnent, Non curat an dies sit vel nox, an Venti flent vel Sol splen-
deat &c. Eadẽ ratio mortuorum ad novissimũ usq; diem, q̃ sine o-
mni cura & sollicitudne dormiunt, nihili curantes res mundanas
sive bella sit sive pax, sive pestis sive fames. Nam *Abraham nescit nos*
& Israël ignorat nos, Esai. 63. v. 16. 5. *Agilitate*, dormientes vires suas
per somnum non tantum recolligunt & instaurant, sed etiam quo-
ad omnes vires ad munia vocationis suæ alacriores revertuntur:
sic etiã per mortem quasi renovamur, quoad omnes vires corpo-
ris & animi, ut in novissimo die exoriente Sole justitiæ Jesu Chri-
sto, p̃mptiores & paratiores & per omnia aptiores futuri simus ad
peragenda illa operã ad quæ initio creati fueramus, & postmodum
a Christo redempti sumus 1. Corinth. 15. v. 42. & seqq. 6. *Tempo-*
ris longinquitatẽ negligentẽ, Nihilo plus dormientem, quam vel pa-
rietẽ, quis sit cursus horologii afficit, donec evigilet: Eadem etiã
ratione in morte accidit. 7. *Internæ vitæ potestate*. Sicut n. in somno
quando corpus quiescit, anima interna non dormit, sed habet suas
operationes, non tantum animales, sed etiam quoad mentem &
sensus interiores. Sic licet corpus quiescat & habitet in pulvere
terræ Ies. 26. v. 19. Spiritus tamen redit ad Deum, qui dedit eum
Eccles. 12. v. 7. Sed de his vide CL. Dn. Præsidentem, communem
nostrum



nostrum Præceptorem in Postilla Evang. super hoc Evang. cum quo confer. Dn. Polycarp. in Harm. Chem.

43. His E. præparatoriis præmissis ad ipsum miraculum se Christus accingit & ingressus in conclave, ubi mortua puella jacebat, apprehendit ipsam & ait: **קומי טליתני** hoc est, Puella surge. Vox prima **טליתני** quid significet Hebræa lingua tibi indicare non potest. Illa enim suas habet voces quibus puellam virginem exprimat, ut **בתולה** (notabis obiter vitiosè scribi à Salmerone tom. sexto tract. 16. in Matthæum, quod *Behora* Hebræis dicatur puella) **עלמא** vel etiam **נערה** Vocè **טליתני** Thelauri Hebræi non agnoscunt. Est autem Syriaca. Sed falso quidam codices hoc loco legunt **טביתני** quod desumptum videtur ex Actor. c. 9. v. 40. ubi Petrus suscitaturus Puellam Joppensem nomine **טביתני** fertur illi dixisse **קומי טביתני** ubi **טביתני** *senada*, non verò puellam significat. Est enim ab Hebræo **צבוי** hinnulus, in fœmia. **צבוי** caprea, unde Syriacum **טביתני** Nec minoris falsitatis arguuntur ii, qui pro **טליתני** substituunt **תבטי** intuere, respice, *eleva oculos* ex **נבט** in Piel (in Kal enim non reperitur) Quis enim esset sensus, si foret interpretatio, *respice surge*? Quomodo hæc explicatio congrueret cum Marci expositione, quando dicit, *Puella, tibi, dico, surge*. Syriaca itaq; hæc dictio vera est **טליתני** & puellam significat. Est enim ab orto **טליתני** vel **טליתני** quod idem est ac Hebræis **נער** puer. Estque ex Hebræo **טליתני** agnus. Altera autem vox **קומי** & Hebraica & Syriaca est, & quidem Imperat. fœmin. generis à radice **קום**, ex ordine. Verb. Quiesc. secunda radicali, surgere. Quod verò Marcus ait, *Tibi dico*, illud ut docet Hieronymus. de opt. genere interp. ab interprete claritatis gratia adjunctum est.

44. Ad quam apprehensionem & vocem *illicò surgis & reversus est spiritus ejus*: Non a. alius Spiritus vel alia anima ambulavit que & comedit. Duo n. signa veræ resurrectionis exhibuit, Alterum quod ambulabat, alterum quod præcepit ei dare cibum, non quia esset debilis; quia ambulabat, sed ut verè probaretur resurrectio.

45. Quod denique ad occultationem facti à Christo Parentibus mandatam attinet, notabis, quod noluerit spargi ab ipsis Parentibus

D

rentibus

rentibus miraculum hocce, quorum testimonium in r̄: & causa propria minus fidei habere poterat, quippe quod videri potuerint, ex ea re quandam familiæ suæ gloriā affectare. Maluit, Ergo Christus, ut aliorum revelatione minus suspecta miraculum innotesceret & ex ipsa re potius nimirum ex conversatione puellæ, inter cives veritas prodigii testata redderetur.

QVÆSTIONES EX HAC PARTE, QVÆSTIO I.

Ad quam vitam, puella hæc est vocata? R. ad præsentem revocatam esse vitam, ita ut moriendum vicissim ei suo tempore fuerit. Corpus enim ejus nec subita mutatione erat transformatum in naturam corporum glorificatorum, ut Helizæ, sed neque in pulverem, erat redactum, ut per resurrectionem illam gloriosum redderetur, sicuti corpora pridem in pulverem terræ versa resurrexere tempore Passionis Christi, hæc enim non solum ad hanc animalem sed alteram vitam gloriosam, nimirum radice peccati per destructionem corporum in sepulchris omninò extirpata & corruptibilitate in incorruptibilitatem penitus absorpta, resuscitata fuere.

QVÆSTIO II.

An fides relatè quatenus tendit ad Christum exclusis bonis operibus justificet? Resp. omninò, hæc enim apprehendit Christi perfectam obœdientiam, quæ impletionem non unius aut alterius duntaxat, sed omnium mandatorum Dei complectitur. Dicimus *solam fidem relatè consideratam justificare*, non sua quadam dignitate vel merito sed quatenus innititur promissioni gratiæ Dei & in Christi merito; penitus acquiescit, nec ipsa fides propriam suam dignitatem jactat, coram Dei judicio, sed in solum propitiatorem JESUM CHRISTUM respiciendo, ejusque amplexando meritum sacrosanctum ad justitiam reputatur. Dicimus quoque *exclusis bonis operibus*, Paulus enim ad Gal. 3. v. 11, scribit: *quod in lege nullus justificetur apud Deum palam est, siquidem justus ex fide vivet. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea, homo vivet in ipsis.* Hanc porrò sententiam confirmat Ephes. 2. v. 8, ubi dicitur: *gratia salvati estis per fidem id quod*

non est.

non ex vobis, Dei donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur, mox etiã rã-
tionẽ redditurus, cur non salvemur ex operibus, addit: nam ipsum
opus sumus, conditi in Christo Iesu ad bona opera, ut in eis ambularemus. Quã
sententiam etiam confirmat Christus in hoc nostro Evangelio,
dum Jairum consolatur & erigit his verbis: Tantummodo crede;
ubi nota particula *μόνον*, qua apertè indicat se nihil omninò requi-
rere ad beneficiorum suorum apprehensionem, quam unicam fi-
dem, sine qua impossibile est placere Deo Hebr. 11. v. 6.

QVÆSTIO III.

An homo post lapsum in rebus spiritualibus quid præstare possit, quod fa-
ciat ad initium conversionis: Papiçolæ, quo fortius operum justifica-
tionem urgere queant, acriter quæstionis affirmativam defen-
dunt, probantq; inter alia dicto Zachar 1. v. 3. ubi dicitur: *Converti-
mini ad me & ego convertar ad vos*, ubi, inquit, Deum velle ut nos
in conversione præveniamus. Ergo habere concludunt hominem
libertatem arbitrii, quã se possit ad Deum convertere. Verum re-
spondemus: Verba Legalia mandati, exprobrationis, reprehen-
sionis, non efficiunt, ut nos possimus id corrigere, quod in nobis
reprehenditur vel præstare, quod à nobis requiritur cujus rei ex-
emplum habemus longè clarissimum in hoc nostro Evangelio, ubi
Christus ad puellam mortuam dicit: *Surge puella*, quæ tamen à se
ipsa non habebat potestatem surgendi, sed verbo & virtute Chri-
sti tantum à mortuis resuscitata fuit. Eadem etiam est ratio pro-
positi exempli ex Zacharia,



RESPONDENTI GRATULOR.

Famma velut penetrans rutili coquit aeris acervos,
Argenti, vitio purgat ut ignis, opes?

Sic nova vis juvenum flammã penetrantior omni

Nunc Evangelium sorde repurgat opus.

Ac removet fraudes, quæis fœx Calviq; Papæq;

Ausa fuit textus contemerare sacros.

Vos conflatores operas urgete, metallis

Aurealiæ dabit nobiliora brevi.

Johan. Major. D.
Olthof,

¶
O Lthosi, haud crepero quem foedere junxit amicum
Collegamque mihi fortis amica manus:
Anne opus esse putas nostra tibi forte Camoena?
Quæ satis indocta est, Quæ satis exigua est.
Te Sophiæ exornat veneranda scientia, linguam
Et labor, Hebræos finxit in articulos,
Quos scripsere pii Vates, & Apostolicus grex,
Evolvis multa sedulitate libros,
Hæcce tuis gratum scio te fecisse Patronis,
Ut Te commendent Carmina non opus est.

M. Daniel Stablius, Collegii Philo-
sophici Adjunctus & p. t. De-
ganus.

¶
O Vos ô quoties non est numerare beatos
Qui Sacris operam datis, & ductore Gerharde
Rimari Superum responsa potestis, & illa
Facta stupenda, Dei quæ Filius edidit: ut se
Esse Deum, cujus metuenda potentia finem
Non habet argueret sine fraude, simulq; doceret
Officii momenta sui nostraq; salutis
Quæ via, qui vitæ simul hujus & illius auctor,
Quin & Romulei sinuosa volumina vobis
Nosse datur gyrosq; vagos atrumq; venenum,
Et tumidas fauces elidere posse colubri.
Tu quoq; tu nimium felix Olihose Magister,
Qui sub Præsidio nostri, clypeoq; Gerhardi,
Teucer ut Acacis scuto munitus in hostes
Spicula contorquens validis emissa lacertis
Semihominis Cati nigræ horrentia vellis,
Pectora transadigit: Sic itur ad æthera cælum.
Sic potis & doctum caput intra nubila condis
Semper eris salvo Sospes Salana Gerharde,
Semper honos nomenq; tuum laudesq; manebunt.

Wolfg. Heider M.

DISP. IV.

00 A 6341

ULB Halle

3


002 919 516




W 02

Reise ✓







R EXPLICATIO
ἑλεγκτικῆ
Evangelii Domin. XXIV.
post Trinit.

P R E S I D E

Dn.
JOHANNE GERHARDO
DOCTORE ET PROFESSORE
THEOLOGO

Suo

*Patrono, Praeceptore & Fatore
honorando*

ad disputandum proposita

à

M. JOHANNE OLTHOFF ROSTOCH
Philos. Senatus Adjuncto in Salana.

Ad diem IX. Novemb.

ANNO M. DC. XVI.

J E N Æ

Typis TOBIAE STEINMANNI.